

fecerunt perfectam et securam exclusionem. In mane autem antequam lucesceret dies, ceperunt cardinales pontificem eligere, cupientes magna cum celeritate venire versus capellam ut concluderetur negocium; qui maxime infestarunt me ut cito pulsarem campanellam pro missa ut ci-tius fieret scrutinium; et deputati ex capitibus ordinum mandabant quod pulsarem hora solita et consueta, prout feci et forsitan prius, ut utriusque parti ut melius possem complacere. Fuit dicta missa ex more et factum deinde scrutinium, in quo praedictus, rev<sup>m</sup> Moronus habuit 26 vota et tres accessus, quos dederunt rev<sup>m</sup> Sforzia, Ursinus et Vercellensis.

Erant tunc in conclavi 51 rev<sup>m</sup>, videlicet Pisanus, Moronus, Tridentinus, Farnesius, Crispus, de Perusio, Saracenus, Sancti Vitalis, St<sup>t</sup> Clementis, de Pisis, Reumanus, Capiscus, Alexandrinus, de Araceli, Sabellus, St<sup>t</sup> Georgii, Cornarius, Salviatus, Simoneta, Paceccus, Amulius, Corrigiensis, de Gambara, Borromeus, Altaemps, Gesualdus, de Sermoneta, Ferrariensis, Mantua, de Aragonia, Columna, Novocomensis, Patavinus, Delphinus, Bobba, Sforzia, Ursinus, Vercellensis, Lomellinus, Crassus, Sirletus, Urbinas, de Monte, Simoncellus, Vitellius, Estensis, Madriutius, Medices, Alciatus, Paleotus [et Castiglione]: adeoque pro perfecta pontificis electione requirebantur 34 vota, de quibus quinque defuerunt; sed certe fuit maximus conquassus, strepitus ac rumor in nocte: nullus enim cardinalis quievit, et multi ipsorum fere currebant per conclave praesertim rev<sup>m</sup> Estensis, qui laboravit pro decem hominibus et aperto marte quaerebat exclusionem. Similiter fecerunt etiam rev<sup>m</sup> de Sermoneta, Urbinas et nonnulli alii. Visi fuerunt multi rev<sup>m</sup> perterriti et quasi flentes, qui, licet inviti, ibant tamen ad capellam ad consentiendum electioni fiendae, considerantes non posse ipsam electio-nem aliquo pacto impedire. Nunquam vidi tam magnam in alicuius rev<sup>m</sup> favorem frequentiam, quae tamen nil profuit, quia sic datum erat de-super. Credo equidem quod optimus fuisset pontifex et bene gubernasset Romanam Ecclesiam.

Ilo sero [diei 30] fuerunt visae multae conventiculae et praticae cardinalium quaerentium creare pontificem rev<sup>m</sup> St<sup>t</sup> Vitalis. Nil tamen factum fuit; nam rev<sup>m</sup> Borromeus (qui habebat in posse suo magnam votorum quantitatem) nolebat accedere, licet quidam de suis libenter accessissent. Dictus vero Borromeus cupiebat creare rev<sup>m</sup> de Araceli; des rev<sup>m</sup> de Altaemps non erat contentus, et sic fuit diu praticatum et laboratum in vanum.

Die 5<sup>a</sup> summo mane hora XII<sup>a</sup> fuit inceptus magnus rumor pro creando in pontificem rev<sup>m</sup> cardinalem Sirletum, et duravit, maxima cum multorum rev<sup>m</sup> acceleratione et concursu usque ad horam 15: nam aliqui ex parte rev<sup>m</sup> Borromei adiuvabant dictam electionem, multi etiam faventes rev<sup>m</sup> St<sup>t</sup> Vitalis quaerebant exclusionem. Ilo interim rev<sup>m</sup> Sforzia publice in aula Regum dixit rev<sup>m</sup> Borromeo quod nolebat aliquo pacto ire ad rev<sup>m</sup> Sirletum, quia nunquam in tota nocte aliquid de eo sibi dixerant, cum honestum ipsi videretur quod omnia debuisse scire et replicavit nunquam nisi coactum iturum dicta ex causa, licet ipsum rev<sup>m</sup> summopere diligenter et pontificia dignitate dignum cognosceret. Cumque videret rev<sup>m</sup> Borromeus firmo ac determinato animo ea dici, rogavit dictum rev<sup>m</sup> Sforziam quod saltem permitteret ire rev<sup>m</sup>